DE INOPIA COPIA.

IN ORATORIO

ARCHICONFRATERNITATIS

SANCTISS. CRVCIFIXI

PER PETRVM PAVLVM BENCINVM

ROMANVM

Ecclesiæ Beatæ MARIÆ de Anima
inclitæ Nationis Germanicæ
Chorostatam.

*Feria sexta post tertiam Dominicam Quadragesimæ
harmonicè expressa.*



ROMÆ, MDCCIII.
Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

Superiorum permissu.

ARGOMENTO

Al ſenſo de Padri riferti dà Cornelio à Lapide al cap. 16. verſ. 19. del Terzo trà gli Euangeliſti.

VIueuano (nello ſteſſo tempo, che l'Autor della vita, fatt'Vuomo, conuerſaua fra gl'Vuomini) nella Giudea Lazaro Lebroſo, e Mendico, e l'Epulone che quanto ricco, altr'e tanto nemico de Poueri, à quali anche ciò che permetteua alli ſteſſi cani, crudelmente proibiua. Aſſiſo un giorno, come al ſolito, ſplendidamente à Menſa l'Epulone, fù richieſto dà Lazaro di ſoccorſo à ſuoi languori, e dal medeſimo barbaramente fatto diſcacciare, il che mal ſoffrendo la Giuſtitia Diuina decretò d'Ambo alla Vita il fine, con il quale Lazaro fu dà gli Angioli collocato nel Seno di Abramo, e l'Epulone da Diauoli nel più cupo dell'Abiſſo. Qui per augumento alle ſue pene, permiſe Iddio, che l'Epulone vedeſſe Lazaro nel Seno d'Abramo, à cui implorò aita di refrigerio, che non le fù conceſſo; Supplicò almeno di traſmettere Lazaro à ſuoi cinque Fratelli per loro auuiſo, che le fù negato.

Sdegnando vdire il Cielo
Di Chì fù ſordo in vita, in morte il zelo.

PERSONÆ.

Abraham.

Lazarus.) Hebrei.
Epulo.)

Vagao familiaris Epuloni.

Iabel Musicus.

Dœmones.

PARS PRIOR.

Ep. PLectra, tybiæ, cytharæ,
Quæ dulcisonis modulis
Me ad tripudia excitatis,
Vos deliciarum vinculis,
Vos voluptatum nexibus
Epulonem ad luxus alligatis.
Vagao, pede sollicito
Arcum iacula sumito...

Vag. En parata.

Ep. Ad venandum properemus;

Vag. Te Duce festinemus colletantes,
Ad feras depredandas
Ad volucres captandas exultantes.

Ep. Exurgat noster Pes,
Tranquillus ubi fons
Exurgens riuos dat:
Ibi respirat spes,
Ibi lætatur frons
Zephyrus ubi flat. Exurgat &c.

Vag. Gaudia gaudiis accrescant,
Tempora speciosis
Cingamus rosis, antequam marcescant.

Ep. Tuis innixum consilijs;
Quicquid luxus edicit,
Quicquid voluptas docet,
Iuuat Diuiti semper, numquam nocet.

Vag: Qui byſſo, & purpura
Se induit ſplendidè,
Delicias vndique
Sibi amat nuptas:
Dat cunctis perfrui,
Cum vitæ viuida
Ferueſcit fax,
Nulla enim remanet poſt mortem Pax,
Et omnis deficit voluptas. Qui &c.
Sors tibi nimis grata,
Tibi, ſi hoſtis in te, foret ingrata.
Ep. & Vag. Vitæ breuis
Aura leuis arctat nos:
In albore
In fulgore
Dum clareſcit
Euaneſcit velut Ros. Vitæ &c.
Laz. Plagis totus circumdatus,
Dum per Vlcerum ora
Clamat quotidie Lazarus,
Proh dolor, audio in me verba inhonora.
Cor meum
Impii tropheum,
Impatiens, cum ab impio exagitatur,
Petit animæ meæ, ut moriatur.
Tu, qui clamorem Pauperum,
Deus, non obliuiſceris
Languentis,
Suſtinentis

Audi

Audi verba ſermonis,
Qui totius Deus es conſolationis.
Eiectus, relictus,
Afflictus affligor,
Transfigor à ſpe:
Quid faciam, ignoro,
Nam ſupplex dum ploro;
Ridentes,
Frementes
Inſurgunt in me: Eiectùs &c.
Quo ibo, Deus, quo ibo,
Ad Diuitem elatum,
Diuitem induratum
Ergo redibo?
Tua mandata ſeruabo,
Te laudabo, timebo
Animam in patientia ſuſtinebo.
Iab. Iabel iuſſa exequimini
Vos, qui tybias inflatis;
Voce iucunditatis
Ad cantus accingimini:
Mecum Choréas ducite;
Eia e pectore ſonitus educite.
In hac cœna mille riui
Lactis fluant, fluant mellis:
Eſt in Diem hæc nox mutata
Decorata ſpecioſis
Mille roſis, mille ſtellis. In hac &c.
Vag. Bonis qui cuuctis affluit

Vitam in bonis ducere festinat;
Voluptas enim confluit
Ad eum, qui voluptatibus se inclinat.
Sint ædulia, sint tibi pocula,
Quæ Nestoris in te instaurent sæcula.
Mei cordis
Tuo amori concordis
Epulo tibi sunt oculi specula. Sint &c.

Ep. Vestri animi affectus,
Quem, par in voluntate
Mihi in hilaritate
Exhibet pectus,
Est meum est vestrum donum;
Nam Diuitis fortuna,
Quod sit vobiscum vna,
Hoc habet bonum.
Lautæ æpulæ, potus optabiles
Labiis meis dulcissimi vos:
Ventrem meum
Mihi eligo in Deum,
Dum per eum
Gustantur amabiles
Terræ fructus, & ætheris ros. Lautæ &c.

Laz. Felix Infelicissimo
Mihi succurre,
Accurre.
Da pauperi, da inopi
De micis, & de minimis
Quæ de tua Mensa decidunt,

 O Di-

O Diues saturari.

Ep. Quere aliunde te, miser, consolari.

Laz. Te pietas, te clamor
Afflictionis meæ te urgeat Amor.

Ep. Oh importunas voces
Meis auribus atroces, & infestas!

Laz. Me undique auulsum vexat undique egestas.
Sine, & me gaudere, cum tu gaudes.

Ep. Inuide, tristem reddere
Me in meo conuiuio, audes.

Laz. Et pauperi, patiendo,
Et Diuiti, iuuando,
Arridet Cœli sors:
Te bona possidendo,
Me bona suspirando
Expectat æqua mors. Et pauperi &c.

Ep. Ne meæ me excrucient iræ,
Precipite, compellite, eum abire.

Laz. Me insultat, qui misericors
Debet mei misereri,
Vocem, à se me remoueri extollit.
Recedo, sed tu caue,
Caue, infelix, & paue,
Nam sors, quod affert, ruitura tollit.
Nec vides vmbris ductus,
Quod extrema lætitiæ occupat luctus.

Iab. Redi ad solatia Epulo,
Rediit pax optata,
Amata quies accessit,

Triſtis ab aula gaudij quia receſſit.
Horrendæ
Tremendæ,
Vos curæ moleſtæ
Ad antra redite.
Lætando,
Beando
Hic riſus adeſte,
Huc ioci venite. **Horrendæ &c.**

Ep. Sat iocis, ſat delicijs,
Sat eſt datum blandicijs;
Dulci quieti intenta,
Poſcit anima mea pacis momenta:
Epulonis cordi grate,
Suſpirate ſopor veni:
Epulanti
Iubilanti
Per te redeunt dies ameni. **Epulonis &c.**

Dæm. Morere, perdite, morere;
Ad infera rue,
Tua crimina lue,
Æternum cruciantes
Ad ignes vorantes
Deſcendens exorere.
Morere perdite, morere.

Finis primæ Partis.

PARS ALTERA.

Abr. VEni, aſpero de Agone,
Serue fidelis bone,
Inuicte Athleta;
Suſtinens quia pugnaſti,
Curſum quia conſummaſti,
Tuis effuſis ſudoribus,
Repoſita languoribus en meta.
De breui enim INOPIA
Æterna tibi nunc exorta eſt COPIA.
Veni virtutis ſpeculum,
Veni conſtantiæ gloria,
Veni patientiæ nobile tropheum,
Te amplectitur, quem amat pectus meum.
Aſcende Lazare, dilecte mi,
In ſinu Abrahæ reclina te:
Quæ te ſubiecerant impiorum vi,
Tranſierunt omnia, requieſce in ſpe. Exulta.

Ep. In profundas voragines,
Erebi inter caligines,
Quis Epulonem traxit, quis adduxit?
Fulgor, in me qui illuxit
Eſt in umbras conuerſus;
Non plumis, flammis undique ego immerſus
Ad nihilum redactus
Hæc dira ſuſtinere ſum coactus
Deſtitutus ut reus:
Et ſolum patientis

Audit fletus dolentis dolor meus.
Ad gemitus e ſonitu.
Huc me proiecit impetu
Crudelis implacabilis,
Inexorabilis, acerba mors:
Sors impia mea proſpera
Tu mihi reddens aſpera;
Es fallax iniquiſſima,
Mihi ſæuiſſima, ingrata Sors. Ad &c.

Vag. Surgens clara & decora
E tenebris Aurora,
Quæ fauſta Mundo nunciat,
Repellens infelicia
Cuncta Vagao felicia hodie prænunciat.
Quæ concupiui,
Quæ diu quæſiui,
Mihi propitia, fortuna das:
Tu ſola es,
Qua viget ſpes
In meo pectore, in quo Tu ſtas. Quæ &c.

Iab. In amaritudinibus
Si oculi mei morantur.
Aut ſuſpendantur Cytharæ,
Aut in luctum mutentur,
Vt Diuitis in funere
Lamentabile carmen modulentur.

Vag. Iabel, *Iab.* Vagào,

Vag. Quæ triſtia in fronte geris?

Iab. Quæ te audire, & me dicere non quæris.

Vag.

Vag. Expone quæſo,
Iab. Epulo in ſuo ſopore,
Heu quo cordis merore,
Hac nocte occubuit.
Vag. Epulo, amatus Epulo ergo occubuit!
Ipſo deficiente, heu quam ſubito
Deficit & in me ſpes omnis vitæ.
Luxus iucunditates
Mundi proſperitates, gaudia abite.
Iab. Me conſolare
Care,
Et mecum plange:
Solatium dum eſt miſero
Habere ſocium funeri,
Tu mecum funde viſcera,
Et pectus frange. Me &c.
Vag. Siſte, nec cede malis,
Iab. Obſtat ira fatalis.
Vag. Ad fortia pectus excita,
Iab. Intimus dolor impulit,
Vag. Mei ut miſerearis, tui miſereor.
Iab. Conſolationes meæ declinauerunt,
Omnia, cum abijt Epulo abierunt.
Vag. Parce, te precor lacrymis
Iab. Quis opem mihi dabit?
Vag. Quo fata trahant hominem,
Nos meminiſſe in morte ſua iuuabit.
Iab. In oculis lacrymæ,
Vag. In labis ſuſpiria,

Iab. & Vag. Mei cordis deliria
Iam undique dant.
Voluptas receſſit,
Cum Diues deceſſit,
Angores
Merores
In animo ſtant. In oculis &c.

Iab. Nos Epulonis obitus
Legere dat in fatis,
Nos vſque nunc lætos vixiſſe ſatis.

Ep. Miſero in meis miſeriis
Additio eſt ſuppliciorum,
Me inter luctus torqueri,
Et Lazarum intueri
Cum Electis in aula gaudiorum.
Me aſpicias
Ne deſpicias
O pietatis fons:
Lazarum mitte Abraham
Vt mea reſpirat frons. Me &c.

Abr. Et Deum, & ſe deſpexit,
Neglexit Cœlum, & ſe omni ſpe priuauit.
Qui Dei, & ſibi infidelis
Theſaurizare in Cœlis ignorauit.

Ep. Spes mea tuus eſt Amor.

Abr. Iuſtitiæ & Cœlo inanis ſurdi clamor:

Ep. Neminem interfeci, *Abr.* Interfeciſti;

Ep. Ius omnibus ſeruaui, *Abr.* Non ſeruaſti.

Ep. Aliena numquam rapui, *Abr.* Rapuiſti.

Ep.

Ep. Colui ſanctuaria, *Abr.* Violaſti.
Ep. Quando, te precor indica:
Abr. Impietatis opere
Cum te auertiſti à paupere;
Nam eſt in Deum certare
Pauca de multis Minimo negare.
Ep. Pater Abraham, *Abr.* Fili Epulo
Ep. Memorare
Abr. Recordare
Ep. Quod infimum mendicum tú exaltaſti,
Abr. Quod bona in vita tua iam recepiſti,
Ep. Memorare
Abr. Recordare
Ep. Quod oculos à me tu declinaſti,
Abr. Quod micis quem priuaſti, reiecisti. Pater &c.
Ep. Permittere ad me Lazarum,
Vt linguam meam refrigeret,
Si tua Abraham à me
Pietas auertit ſe;
Mitte eum, precor, mitte ad fratres meos,
Ne ſi forſitan reos
Feciſſet umbra errorum,
Cogantur,
Compellantur,
Deſcendere in hunc locum tormentorum.
Abr. Ad monendum, docendum,
Ducere ſempiternos dies tranquillos,
Eſt Moyſes, ſunt Prophetæ, audiant illos.
Ep. Tortores Dœmones

In

In me inſeuite,
Ferite, trucidate,
Vexate lacerate,
Exagitate me:
In vanum lacrymas
Effundo ſupplices,
Orbatus undique
Amore & ſpe. Tortores &c.
A me ſtultus infelix reputatus,
Fuit ſapiens, felix eſt, Ego inſenſatus.
Abr. In Iuſtorum conſortium
Pauper en qualis tu Diues ingrederis
Glorioſa,
Copioſa
Inter Cœlitum dona,
Sic datur,
Quæ paratur
Legitime certantibus corona.
Exultans iubila,
Tua ſoluit nubila
Amoris radiis beata fax:
Hæc frangens ferrea,
Aduenier liberans
Cum ſuis ut collocet Eterna Pax.
Exultans &c.

F I N I S.

PH. CAPISTRELLIVS.